

1.31.4

*Idem AA. Nomo magistro officiorum.*

Curae perpetuae tui culminis credimus iniungendum, ut super omni limite sub tua iurisdictione constituto, quemadmodum se militum numerus habeat castrorumque ac clausurarum cura procedat, quotannis significare nobis propria suggestionem procuret.

*D. prid. id. Sept. Constantinopoli Maximo II et Paterio cons.* [a. 443]

1.31.5

*Imp. Iustinus et Iustinianus AA. Tatiano magistro officiorum.*

Iubemus eum ad militiam devotissimorum scholarium de cetero pervenire, qui nostrum meruit iudicium, nec licere pro tempore tui culminis administrationem habenti sine huiusmodi probatoria aliquem inter eosdem viros devotos scholares suis referre praeceptionibus: sed sciat is, qui sine sacro rescripto ad eandem pervenire militiam ausus fuerit, non solum ea se privari, verum etiam poenae viginti librarum auri subici.

1 ¶ Illud etiam observari de cetero volumus, ut, si quis locus statutorum scholarium in quacumque schola vacaverit, ille subrogetur, quem nostra pietas per sacrum rescriptum vacantem subire locum praeceperit.

2 ¶ Ad haec quadrimenstruos breves eorundem scholarium cura tuae sublimitatis et pro tempore viri excellentissimi magistri officiorum conscribi volumus et eos sacro scrinio laterculi praestari ibi deponendos, ut semper notitia eorundem scholarium certa sit neque publico damnum aliquod infligatur.

*D. X k. Mai. Constantinopoli Mavortio vc. cons.* [a. 527]